



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Tractatvs De Censvris Romano Pontifici Reservatis

Ugolinus, Bartholomaeus

Venetijis, 1609

Vers. Ac eorum credentes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61365](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-61365)

Secundo excipiuntur clerici, qui sine legitima causa habitum clericalem dimittunt, nam nec hi in excommunicationem hanc incidunt, esto apostatae dicantur, & excommunicari possint, ut habet in tit. de Apost.

Postremò excipiuntur apostatae inobedientiae, idest, qui Romano Pont. vel canonibus non obediunt, nam neque hi hac excommunicatione comprehenduntur, quamvis excommunicari possint, ut dixit Innocen. in capitu. 1. numer. 2. de Apostat. & Tabien. in verb. Apostasia. numer. 7. versic. Quinto. Quare ob id Apostatas hosce non propriè apostatas esse, quidam dixerunt, sed iam ad alia veniamus.

Vers. Ac eorum credentes.

S V M M A.

- 1 Credēs hæreticorum quisnam dicatur.
- 2 Credere hæreticis duobus modis contingit.
- 3 Credere quem hæreticis duobus modis conuincitur.

Hic excommunicantur credentes hæreticorum, verum ut sciamus, quinam hi sint, ob eam rem, qui credentes hæreticorum dicantur, explicemus.

Credens hæreticorum igitur, t̄ quatenus ad rem nostram pertinet, ille propriè dicitur, qui hæ-

reticis credit in illis erroribus, quos habent contra fidem, ut habetur in capitu. penult. §. fin. de hæret. Credentes autem eorum, scilicet hæreticorum erroribus, dici tur enim ibi, hæreticos similiter iudicamus. Hæc ibi, ex quibus patet eos hæreticorum credentes esse, qui eorum erroribus credunt, idem sensit Carer. in Tractatu de hæret. num. 175. versicu. Et nota, ait enim ibi, quod tales receptatores, fautores, & credentes non puniuntur aliis pœnis in iure non expressis, nec pœnis hæreticorum, præter quam credentes hæreticis contra fidem. Ecce hic manifestò appetit credentes hæreticorum eos dici, qui contra fidem eis credunt, qui in aliis ergo ipsis credunt, hæreticorum credentes non sunt, idem sensit Tabien. in verb. Excommunicatio. 5. cas. 4. numero 12. Versicul. Undecimo, & Sylvest. in verb. Hæresis. numero 10. versicul. Septimo, & Angel. in verb. Hæreticus. num. 22. versic. Quis datur credens, de his ergo credéribus hic agitur.

2 Credere autem hæreticis t̄ duobus modis contingit, explicitè, & implicitè, explicitè, vbi credentes credunt erroribus ipso rum, & sciunt quinam errores illi sint, implicitè vero, vbi credunt idem, quod credunt hæretici, sed ignorant, quid ipsi credant, sic enim & in vera fide quis credit explicitè, vbi speciatim

D 3 nouit

nouit quid Ecclesia credat, implicitè, vbi credit, sed nescit, quid Ecclesia credat, vt homines idiotæ, & simplices, ita sensit Syluest. in verb. Hæresis. 1. numer. 10. versicul. Septimò, & Nauar. in Man. capit. 17. num. 55. versicu. Tertia, quod verbum Creditentes, & Caïet. in Summ. in verb. Excommunicatio. capit. 45. & Iac. de Graff. lib. 4. decis. cas. consc. capit. 1. nu. 22. & Tolet. in Bulla Cœnæ domini, Excomm. 1. numer. 17. Quare, quod tales hæretici etiam sunt, vt habetur in cit. cap. pen. §. fi. de hær. esto expressi non fuissent, tamen in excommunicatione hanc Bullæ incidunt, fuit igitur potius declaratio hæc, quam necessaria expressio, vt hoc etiam animaduertit Nauar. ibid. & si Caie. ibidem credentes eos dicat, qui implicitè credant, quæ ipsi credunt, esto quid credant, ignorēt, quod ratione non caret, quod & sequitur Iacob. ibid. Qui ergo dicet Caluinum virum bonum fuisse, & se velle mori in eius fide, quam tamen ignorat qualis sit, credens hæreticorum est, ex quo scit pro hæretico ab ecclesia iudicatum esse.

3 Credere autem † duobus modis conuincuntur, verbis, & factis. Verbis, vbi aperte fatentur se credere illorum erroribus, vel publicè prædicant, ac defendunt eorum errores. argumen. cap. super quibusdam, de verbor. signifi. Factis vero, vel quod sequuntur eorum

ritum, & communionem ab eis accipiunt, vt dixit Ancharan. in cap. 2. num. 2. versicul. Secundò, de hæret. lib. 6. & Ioan. Tabien. in ver. Excommunicatio. 5. cas. 4. numero 12. versicul. Undecimo, vel quod eorum contiones frequentant, nam & hi credere censentur, vt sensit Gemin. in citat. cap. 2. num. 7. versicu. Sed quid, de audentibus, & sequitur Felis aperte in capi. excommunicamus. 1. numero 5. versicul. Ultimo circa istum, de hæret. & Ioann. Nicola. Arelat. in Tractatu de hæret. not. 16. quacunque ratione igitur credentes hæreticorum sint, ad Bullam hanc pertinent. His ita præmissis, iam rem ipsam aggrediamur, & regulam de more ponamus.

S V M M A.

1 Credentes hæreticorum in excommunicationem Bullæ incident, quæ regula declaratur, quousque pateat.

I.

¶. † In excommunicationem hanc Bullæ igitur hæreticorum credentes incident, vt expressum hoc habetur in versiculo proposito. Quæ excommunicatio amplificatur quatuor illis modis, quos in prioribus regulis posuimus, quicunque igitur sint, vbi cunque morentur, in quocunque fidei



Pontifici referuatis.

fidei errore hæreticis credant, & priuilegium habeant, ne possint excommunicari, in huius tamen excommunicationem Bullæ incidunt.

Item afficit excommunicatio hæc hæreticorum credentes, vel explicitè, vel implicitè credant, nam credentes sunt, quacunque ratione credant.

Postremo afficit etiam ipsos, vel factis, vel verbis se credere fateantur.

Excipiuntur tamen primo, qui inscitia ducti ipsis crederent, ut pote aliquis hæreticus nondum pro tali habitus, ac declaratus, prædicat errores aliquos iuris idiotis, ac simplicibus, qui existimant eum recte sentire, & rede docere, planè in excommunicationem hi non incident, quippe qui hæretici non sint argumē. capit. Apostolicæ.de cler.excom. min.

Item in excommunicationem non incidunt, qui ob mortis metum se credere illis dicunt, modo fidem animo retineant, quamvis gravissime peccent, sic enim & Petrus Christum Dominum negavit, & Marcellinus idolis thus ob tulit.

Tertio, vbi animo crederent, sed tamen nulla ratione id exprimerent, sicuti supra de hæretico mentali conclusimus.

Postremo, vbi extra fidem ipfisis in re alia crederent, ut pote in medicina danda, in dogmate ali-

Vos Secunda.

55

quo philosophia, in contradicti- bus, & huiusmodi, nam non hæ- reticis credunt, quatenus hæreti- ci sunt, atque idcirco dispositio huius Bullæ in his locum non ha- bet, atque sic sensit Sylvestr. in verb. Hæresis. num. 10. versicu. le- ptimam.

Quæ autem diximus de credé- tibus hæreticorum, eadem senti- mus & de credentibus apostata- rum, nam & ipsis hæretici sunt, vt vidimus supra. Præterea post hæ- reticos, & apostatas credentes excommunicantur, ergo & ad cre- dentes eorum excommunicatio hæc referri debet, sed iam de re- ceptatoribus eorumdem aga- mus.

Vers. Receptatores.

S V M M A.

- 1 Receptator hæreticorum quisnam di- catur.
- 2 Recipi hæreticus potest ob multas cau- sas.

IN hac parte receptatores hæ- reticorum etiam excommuni- cantur. Quam rem ut facilius co- gnoscamus, f quisnam receptator sit, prius explicemus. Anchara. in cap. 2. num. 3. versicu. Tertio qua- ro. & Gemin. num. 8. versicu. Sed, qui dicantur, de hæret. lib. 6. rece- ptatorem hæreticorum eum esse inquiunt, qui sciens quem hæreti-

D 4 cum

